

(4)

INGENVO ATQVE
DOCTO IVVENI TIBVR-
TIO SIGEL HEIDENFELDEN.
si Franco, sacrarum LL. studioso, Vvi-
teberga in patriam redituro xii. Kal:
Xbr: perscr.

A
P E T R O A L B I N O
N I V E M O N T I O.



VVITEBERGÆ
*Excudebant Clemens Schleich &
Antonius Schöne.*

M. D. L X X I.



Ex donis Casparis Maroldi
conjectoris mei suauissimi.
do 74. Mense Junio

657

C. 657



Vod reditum Albiaca moliris ab yrbe TIB
BVRTI
Ad patriæ fines & amica Herbæpolis
arua,

Causa subest forsan grauis. I quo numine dextro
Fata trahunt occulta. Nec isto tempore votis
Non locus, eia adeò bona verba precabor: eunti
Sit comes alma salus & fors optata, sequantur
Successus faciles digressum atq; integra fama:
Quandoquidem haud superi quicquam præclarius illa
Concessere hominum generi, si vera fatemur.

Indultum satis est precibus. Frontem erige paulum
Et conuiue tuis, quos hæc tibi terra TIBVRTI
Iunxit amicitia, quorum tibi pectora fida
Relligiosa fides vinclis astrinxit abenis.
Quis scit an ista dies nobis reditura sit ynquam,
Nunquam illa est reditura. Quis has te casus ad oras
Refferet? at nullus forsan. Da tempus amicis
Perbreue, Mens hilaris motusq; in corde serenus
Dimidium vitæ est. Abeat, quem tristia vexant
Monstra senescentis curæ & nil proficientis:
Sis mæstus, cuicunq; placet mæustum esse, dolorq;
Ulro quem iuuat accitus, gelidq; timores:
Mi bona vita placet, mi nutrimenta iuuentæ
Dulce sodalitum, sed cui non desit honestas.

Primum etenim me felices ante omnia Musæ

Aij Qua-

Quarum sacra fero ingenito perculsus amore
Accipiant, Themidosq; vias & Delphica monstrant
Oracula, vt studij partem sibi vendicet olim
Dius honos, cui debemus nos nostraq; partem
Patria cara sibi, partem dein sanguine iuncti.
Sin, possim assiduo ne istis incumbere rebus,
Obstiterit vegetus circum præcordia sanguis,
Liberior paulò mibi vita diesq; beati
Obueniant, festiuaq; gaudia propicijs dijs.
Agmina amem turbasq; iocosior, o ubi cantus
Ambrosij, testude sonans, panduris acuta,
Tibia rurestris, hyra saltidica, ordine in illo
Sistar & ad numerum modulantibus explear auris.

Felix qui studijs sine fine vacare seuerjs
Atq; moras omnes potuit præcidere, & ansis
Desidiæ opposuit non expugnabile pectus.

Fortunatus & ille, bono qui carmine gaudet,
Euterpenq; Eratog; colit Cliog; sorores.
Nam curas iuuenum in medio seu fallit inanes,
Seu pro se expellit Cyrrhaeis abditus antris,
Illum non taciti horrores gemitusq; profundi
Exercent ægrum, non tristis amaror anhelum
Mordaces adedit stimulus adhibendo, neq; ille
Nostri hostem generis vel hiantem exhorruit Orcum,
Spem vultu interdum simulauit, corde dolores,
Si qui aderant, pressit, Spartamq; ornauit adeptam

Sorte

*Sorte sua contentus, ouans, nec damna prioris
Temporis enumerans, fieri quæ infecta nequirent.*

*Sollicitant alios alij, dum tristia cernunt
Ducere spiramenta animæ, nec tollere vultus,
Qui se subducunt à consuetudine dulci.
In ferrum ruit ille suum mœroribus aëlus.
Hic properat stygias desperabundus ad arces.
Mentis auaræ alijs scelerata nouerca sibi ipsi est,
Vndiq; corradiit, prauè corrasa recludit,
Alget, eget, sitit, esurit, adq; suprema ubi ventum est,
Condit opes partas, defossog; incubat auro,
Mille vel & miserum infestant de nocte latrones.
Hic stupet attonitus, nec risu difflit ante
Pusio quam fornace cadat formosus ab alta,
Mīσ ὁ πανθεόν, nec amans, nec amatus ab ullo.*

*Ast animi securus agit non prodiga vitæ
Tempora, cordatus, præsens in sorte secunda
Aduersaq; simul, quid enim se torqueat? inquit:
Quod possum facio, committo cætera diuis:
Cor quid conturbare meum, suspiria quid cor
Ducis? fide Deo, rerum omnium abundat is unus:
Gaudia quis concessa vetet, quis carpat ouantem,
Si metas idem non transgrediatur honesti?
Dimidia mihi luce frui dent numina cæptis
Delicijs, dent læticiam hanc magis esse perennem.
Ergo dies agitat festos, notog; sodali*

A ij

Iuno.

Iungitur, ut pressum leuet, aut releuetur ab ipso.
Quos nulla arcanos prorsus commercia tangunt,
Quiq; sodalitum fugitant, (est nobile dictum,
At vulgare quidem) aut Di sunt proprij omne læuo,
Aut stolidi, sensus quos falsos ludit inanis.
Quisquis es ac optas longæuam ducere vitam,
Viue tibi quantumq; potes suspiria vita,
Suspirantis enim persæpe, citissima mors est.

Quare age & ante abitum frontē paulisper amicā
Erige, coniunctisq; tibi coniue TIBVRTI,
Si te Leucoridum tangit cura vlla Dearum,
Si tibi & Argelicæ flectunt præcordia gemmæ.

Hoc supereſt, te fata beent in Francidos oræ,
In dulcis gremio patriæ, ut sis sospes, & olim
Fida ministeria atq; addictos mille labores
Proſtituas illi, ceu fas ſcis eſſe piumq;
Consueto non more tuas laudauero dotes
Nunc benè, quod vulgus vatim ſolet, ipſe videbis
Ut tua te virtus laudet præcone tacente,
Ut decus ingenij & quæſitæ in montibus artes
Egregiæ Albinis, morumq; ostendat honestas,
Nil opus eſſet tibi vanarum vlo agmīnt audum.

Petrus Albinus Niuemontius.

SVO TIBVR TIO
SIGEL.

Candide Leucorea quod iam discedis ab urbe,
Id mihi materiam scribere pauca dedit.
Scilicet, ut (nostrum quod poscit pignus amoris)
De nostra dicam paucula verba fide.
Non tantum Pylades fidum est amplexus Oresten,
Nec Niso carus tam fuit Eurialus.
Qualis amicitiae mihi tecum contigit usus,
Qui mihi sincero pectore iunctus eras.
Ah quoties dixi non te mihi carior ullus,
Ah quoties dixi, tu mihi frater eris.
Quae placuere tibi mihi complacuisse solebant,
Et placuerent tibi, quae placuere mihi.
Candide sincero mihi tu deuinclus amore es,
Dissoluet nostram nulla ruina fidem.
Sed quia iam non te comitari corpore possum
Mente, comes quo sim, te tameu usq; sequar.
Ne desint comites sed sis comitatus abunde,
Huic sis alma D E V S duxq; comesq; viæ.
Ito bonis auibus, nec amici esto immemor huius,
Atq; sit æternus qui benè cepit amor.
Quod superest, opto vincas ut secula corui,
Viuas Mathusalem, Nestoris atq; dies.

Ipse

*Ipse tibi Pylades, & eris mibi fidus Orestes,
Ipse tibi Eurialus, tu mibi Nisus eris.*

T. Dilectiss:

B. M. A.

